



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 81. Guisius Dux obluctante licet Regina Condæum esse capiendum
ratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

tamen inire, Cum autem nemo Con-
 dæum Principem accusare auderet, hic
 Regem summa, qua potuit, submissio-
 ne rogabat, ne imposterum ejusmo-
 di calumniis aures præberet, sed ipsum
 fidelis subditi, atque obsequiosissimi ag-
 nati loco haberet.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1560.

§. LXXXI.

*Guifus Dux obliuente licet Regina,
 Condæum esse capiendum ratus.*

Nihilominus Guifus Dux sententiæ
 illorum, qui Condæum Principem
 carceri mandandum censebant, clam
 suffragabatur: hoc autem consilium mi-
 nus probabatur Reginæ, partim quod
 Guifos exinde immodica potentia ex-
 tolli vereretur, si neminem, qui sese eis
 opponere auderet, haberent, partim
 quod hac captivitate Principem ad de-
 sperationem redigi pertimesceret, unde
 majora, quam ex priori conspiratione
 mala oriri possent: quapropter Princi-
 pis nomen reticebatur in illa declaratio-
 ne, quæ in Provinciis ad omnes Sena-
 tus, nobiliora oppida, & Gubernatores
 eo fine mittebatur, ut cuncti de ingenti
 discrimine, quod Rex ex singulari Nu-
 minis beneficio eluctatus fuerat, certio-
 res fierent, ac præclara, quæ hac in
 occa-

Mezer. abre-
 ge chron. t. 5.
 p. 32.
 Tuvan. l. 25.

Sæcul. XVI.

A C 1560.

occasione Guisus Dux Regi præstitisset, obsequia deprædicarent, atque ea de causa a Parisiensi Senatu gloriosum Patriæ Conservatoris titulum ei esse attributum scirent: simul etiam Gubernatoribus præceptum, ut nullum omnino Calvinistarum conventiculum sub quocunque prætextu fieri permitterent.

§. LXXXII.

*Olivarii Cancellarii obitus.**Belcar. com.*
l. 28. n. 57.

Sub idem tempus Olivarius Regni Cancellarius die trigesima Martii Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo Ambasiæ fatis cessit, ejusque corpus Parisios delatum in Ecclesia S. Germani Antiffiodorensis prope Patris sui tumulum terræ mandatam fuit. Hic vir erat sermonis eloquentia, judicii maturitate, atque animi sinceritate præstans, semperque se amicis suis fidelem, Regi, ac Patriæ suæ fide nunquam violanda addictum, atque fortitudine insignem exhibebat. Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto regnante Francisco I. regio diplomate die decima octava Aprilis Remorentini edito Cancellarius nominabatur, mortuo autem Francisco Rege ab Henrico II. ejus Filio ex Valentinæ Ducis consilio regii sigilli custodia spoliabatur,